FORMALITATUM TRACTATULUS AD MENTEM DOCTORIS...

Silverius Picellius




NAZIONALE
13
24 H
3



FORMALITATVM TRACTATVLVS

Ad mentem Doctoris ANGELICI, & SVBTILIS CONFECTVS,

Ad ipsorum, aliorumuè doctrinam faciliùs, ac suauiùs addiscendam, sibique parandam,

Admodum vtilis, & necessarius, cum ipsarum simul formalitatum coincidentia.

Opera, & industria Adm. R. P.

F. SILVERII PICELLII à Podiofidone Reatin.


Fratrum Minorum Strictioris Obseruantiæ, Prouinciæ Romanæ Theologo, & Ordinis Pater.


Pertinet ad Bibliothecam S. Fran:




ROMÆ,
Apud Franciscum Caballum. 1655.

Superiorum permissu.







FR. SEBASTIANVS A CAIETA

Ordinis Minorum Regular. Obſeru. in Ciſmontana Familia Obſeruantium, & Reformatorum Commiſſarius Generalis, & ſeruus.


Dilecto nobis in Christo Patri Fratri Siluerio Picellio à Podiofidone, Prouinciæ noſtræ Reformatæ Romanæ Theologo, & Ordinis Patri, Salutem.

CVM iuxta Apoſtolicas, noſtriq. Ordinis Conſtitutiones, reuiſum, & approbatum fuerit a Theologis noſtris

opuſculum quoddam, cui titulus, Formalitatum Tractatulus ad mentẽ Doctoris Angelici, & Subtilis, *à te confectum: præſentium ideò vigore cum ſalutaris obedientiæ merito, concedimus tibi facultatem, quatenus illud, ſeruatis ſeruandis, Typis mandare poſſis. Vale.*

Dat. Romæ in Conuentu noſtro Aracælitano 10. *Nouembris* 1654.

Fr. Sebaſtianus à Caieta
Commiſs. Generalis.



Reuerendiſs. Patri

F. SEBASTIANO
A CAIETA

Fratrum Minorum Obſeruantium, & Reformatorum Ciſmontanæ Familiæ Commiſſario Generali Vigilantiſſimo, Patri, & Patrono Colendiſſimo.



VM Tractatulum de Formalitatibus iam olim diſcordibus, nunc verò concordibus, Doctoris Angelici, & Subtilis confecerim, ad vſum prorsùs, & cõmodum ſectatorum omnium prædictorum Doctorum, illum tibi dicandum, tuouè patrocinio innitẽdum cenſui, tùm ob tuam in eos

Summam deuotionem, ipsorumque doctrinæ plenam assecutionem; tùm quoque ob tuam in me beneuolentiam, & meam in te impigram, & humillimam seruitutem; magnanimus ergò (quæso) modicum à modico suscipe ex corde tibi oblatum. Vale, viueque perenne, ac fœlix.

Datum in Conuentu Sancti Francisci Transtyberim die prima Nouembris 1654.

Pat. Tuæ R.

Humillimus, & obsequentissimus seruus.

F. Siluerius Picellius à Podiofidone Reatin.

Imprimatur si videbitur Reuerendiss. Patri Magistro Sacri Palatij Apostolici.

Marcellus Anania Episcopus Sutrinus, & Nepesinus Vicesgerens.

Imprimatur.

Fr. Saluator Pagliari Sacri Apost. Palatij Magistri Socius.



FORMALITATES.



ACTVRVS de formalitatibus, primo agendum est de titulo, secundo de subiecto, & tertio de speciebus earum. Titulus est, de formalitatibus, tanquam de principali distinctionum parte. Formalitas dicitur à forma, quæ communiter sumitur aut pro forma partis physicę, aut metaphisicę, vt anima, & rationalitas hominis Arist. 2. de anima tex. 4. Aut pro forma totius itidem Physici, vel Metaphisici, vt humanitas, & hominis definitio Arist. 3. Phys. tex. 17. Aut pro forma simplici, vt Deus, & Angeli Arist. 12. Meth. text. 51. Aut pro conceptu essentiali, vt risibilitas & aliæ propriæ rerum passiones; Aut pro

pro conceptu accidentali, vt albedo Arist. 5. Phys. tex. 1. Aut etiam fortè pro omni secunda intentione, ac ente rationis; Aut tandem propriè pro quacunque rerum quidditate, seù quidditatiuo conceptu Arist. 2. Phis. tex. 17. seù pro forma Artificiali Arist. 2. Phys. test. 28. formalitas ergo est omnis rei quidditas, seù conceptus ex natura rei tractus; vel est ens, quo aliquid est extra nihil; cuius subiectum est ens quatenus idem, vel diuersum, seù distinctum; ens enim est subiectum materiale, circa quod hæc scientia versatur; Idem verò, vel diuersum est subiectum formale, saltem circumloquutiuum rationis formalis eius, sub qua illud hic consideratur, & vniuersa, de quibus hic agitur, finaliter reducuntur. Distinctio pro formali, vt genus ad omnes distinctiones, importat relationem; dicitur enim distinctum à distincto distinctum, est habitudo duorum extremorum, quorum vnum nō est aliud in eo, in quo distinguuntur; Aut est medium ne-

gandi vnum ab alio, quæ est sibi propria. Pro materiali autem significat ipsam rem distinctam, vt notum est. Identitas quoque distinctioni opposita, importat pro formali relationem, vt genus, ad omnes identitates, cum dicatur, vt supra, ad conuertentiam, idem eidem idem; Pro materiali autem sunt res, quæ sunt eędem, vt liquidò patet.

Animaduertendum est autem, distinctum, diuisum, & diuersum pro eodem aliquando sumi secundum Arist. propriæ tamen secundum Theologos, distinctum partium cuiusque rei, diuisum quantitatis tantum, & diuersum essentiarum, separationem important, non idem verò dicit disiunctionem cuiuscumque priuatiui à suo positiuo, vt non idem formaliter, non idem essentialiter, & sic de singulis.

De distinctionum, & identitatum numero diuersimodè locuti sunt formalistæ, tam Thomistæ, quam Scotistæ; Thomistæ quidem

vn.

vndecim assignarunt, licet eas ad numerum septenarium reduxerint; reliquas verò, nempe formalem, modalem, grammaticalem, & priuatiuam, omnino deserentes, vt habetur apud Matthiam Aquarium Thomistam in suis formalitatibus, cap. 1. & sequaces, existimantes fortè illas verè, & realiter non esse tales, aut non necessarias, aut in alijs septem implicitè contentas, vel ad easdem reducibiles. Scotistarum verò pauci tres tantummodò assignarunt, realem scilicet formalem, & rationis, alias quatuor paruipendentes, omnes alij amplexati sunt, vt ait Chiodinus Scotista quæstio 7. suarum formalitatum.



Distinctiones, & identitates Thomistarum.

PRima. Distinctio realis perfecta realitate existentiæ, & subsistentiæ, suppositi, & personę, est inter res existentes, quarum vna potest existere aliquo modò, altera non existente; qualis est inter causam, & causatum; generans, & generatum, vt inter sortem, & Platonem; de qua Arist. 5. Meth. tex. 11. Porph. in Prædic. cap. de specie, & D. Thom. par. 1. quęst. 10. & alibi.

Identitas huic distinctioni opposita est inter res, eandem existentiam habentes, quarum vna non potest esse sine alia, vt notionalia in Diuinis, intellectus, & voluntas, innascibilitas, Paternitas, & Filiatio, communis Spiratio, & processio.

Se-

Distinctiones, & identitates Scotistarum.

PRima. Distinctio realis propria est inter res positiuas reales, & absolutas, quæ ab inuicem aliquo modo separari possunt: communis vero est inter quascunque res ab intellectu aliquo modo seorsim perceptibiles, qualis est inter causam, & causatum, producens, & productum. De qua Scot. in 1. d. 2. q. 7. Quæ, vt vides coincidit cum prima distinctione reali Thomistarum; vt ex ipsorum exemplis manifestè apparet.

Identitas verò præsenti distinctioni opposita est inter res, quæ non possunt ab inuicem separari, vt intellectus, & voluntas, vel, quæ se habent modo opposito huic distinctioni; de qua Scot. in 2. d. 1. d. 16. quę pariter coincidit cum prima identitate Thomistica.

Se-

SEcunda. Distinctio realis est inter rem includentem aliquid intrinsecè, & non includentem illud, vt inter hominem includentem intrinsecè rationalitatem, & animal non includens illam. De qua Arist. 3. de Anima tex. 9. Auuerr. & Alexander Aphrodiseus ibi. 7. Meth. tex. 34. Porphir. in Prædicabil. cap. de differen. secundum Albert. Boet. & Caiet. ibidem D. Thom. par. 1. quæst. 3. art. 3. primo contra gentes cap. 12. opusc. 3. cap. 10. & 7. meth. tex. 20. & 25.

Cuius identitas est non alietas, seu vnitas extremorum, seu rerum quarum vna nihil intrinsecè claudit, quod non claudat alia, quæ reperitur inter suppositum, & naturam Angelicam, per semetipsam indiuiduatam, vt docet D. Thom. par. 1. quæst. 3. art. 3. loquens, vt Philosophus, licet par. 3. quæst. 3. art. 3. videatur dicere, vt Theologus, oppositum; sicque non est sibi contrarius.

Ter-

SEcunda. Distinctio realis formalis propriè dicta, est inter res positiuas, quarum vna predicatur de altera in primo modo dicendi per se, ita ut id, quod sic prædicatur distinguitur ab eo formaliter, de quo prædicatur, vt homo, & animal secundum verba Scoti, vbi supra, voco autem (ait) identitatem formalem, vbi illud, quod dicitur sic idem, includit illud, cui sic est idem, in sua ratione formali, & per consequens per se primo modo; licet nonnulli ex Scotistis sensu contrario eam intelligant, & exponant; communiter verò dicta, est inter res habentes diuersas formalitates suprà positas. Quę cum secunda Thomistica coincidit, vt patet.

Identitas ei opposita est inter inferius includens per se primo modo superius, & ipsum superius, in eo sic inclusum, vt patet ex dictis Scoti verbis. Sicque itidem in istis identitatibus conueniunt.

Ter-

TErtia. Distinctio realis est etiam inter rem includentem aliquid extrinsecè, & rem non includentem illud, vt suppositum Angeli includens accidentia, & natura eius non includens illa; aut quæ est inter intellectum intelligentem magnitudinis quidditatem in se, & sensum cognoscentem illam cum cōditionibus tantum singularium, scilicet vt existētem, sibique, vt hic pręsentem, quę est illarum potentiarū differentia ex parte suorum obiectorū secundum Phyl. 3. de Anima tex. 9. Huius identitas est rerum, quarum vna nil claudit intrinsecè, vel extrinsecè, quod non claudat alia, vt Deus, & Deitas differentes tantum ratione in modis signandi. Hanc etiam distinctionem ponunt Thom. in substantijs immaterialibus, in quibus suppositū, & natura non intrinsecè, sed extrinsecè secundum rē, & rationem distinguuntur, cum suppositū, vt sic, includat subsistere, quod est esse per se non intrinsecè, sed quodammodo, vt proprium acturam, per quē, si diffinicretur, deberet diffiniri.

Quar-

TErtia. Distinctio realis obiectiua est inter potentias, quę non conueniunt in aliquo obiecto communi; vt auditus, & visus respectu soni, & coloris; & inter res, quę non conueniunt in aliquo prędicato communi essentiali vniuoco, vel denominatiuo, vt vltimę differentię specificæ, vel indiuiduales; vt rationalitas, & irrationalitas, Sorteitas & Platoneitas, quæ sunt ens realiter, non formaliter; Vel inter intellectum, & sensum magnitudinem diuersimodè ex Arist. 3. de anima text. 9. apprehendentes; De qua Scotus 2. dist. 1. & d. 16. quę optimè coincidit cum 3. Thomistica distinctione.

Identitas verò eius est inter potentias idem obiectum, saltem materiale, habentes; vel inter habentes idem prędicatum essentiale, vel denominatiuum, vt Sortes, & Plato respectu humanitatis, risibilitatis, & albedineitatis ipsorum, & intellectus, & volūtas in essentia Diuina; vel Deus, & Deitas; quę etiam coincidit cum 3. Th.

Quar-

QVarta. Distinctio realis respectiua est inter duas res relatiuè oppositas, vt inter Patrem, & Filium in diuinis, & similes, de qua Arist. in Prædic. cap. ad aliquid & 5. Meth. cap. de relatiuis, & D. Thom. p. 1. q. 40.

Cuius Identitas est inter duo absoluta, nullum respectum importantia, vt sunt omnia essentialia in diuinis; quę dicuntur essentialia, quia de qualibet persona diuina dicuntur sigillatim, & de tribus simul in singulari, non autem in plurali, vt Pater est ens, Filius est ens, Spiritus sanctus est ens, non tamen tria entia; similiter; Deus est sapientia, iustitia, bonitas, veritas, & sic de alijs, quæ dicuntur essentialia absoluta; dicunt perfectionem, & præcedunt notionalia ad intra, vt paternitas, filiatio, spiratio, & aliæ; præcedunt quoque essentialia causalia ad extra, vt creare, gubernare, cōseruare, & similia, vel secūdum Scotistas, est inter res cōuenientes in vna, eademque relatione, vt pater, & Filius in spiratione actiua.

Quin-

QVarta. Distinctio realis subiectiua est inter res, quæ non conueniunt in aliqua natura, seù realitate potentiali per differentias contrahibili, vt Deus, & creatura respectu conceptus entis contrahibilis solum ad eas per modos intrinsecos, nimirum per finitum, vel infinitum, & inter personas diuinas respectu essentię, quę nullam habet potentialitatem, nec diuisibilitatem, vt patet, vel est inter res, quę sunt in diuersis subiectis, vt scientia in intellectu, & bonitas in voluntate. de qua Scotus in 2. d. 12. & d. 16. quæ etiam coincidit, cum quarta Thomistica.

Cuius identitas est inter res, quæ conueniunt in aliqua realitate potentiali per differentias formales contrahibili, vt Sortes, & Plato, vel bos, et leo; vel, quæ sunt in eodem subiecto, vt duę species intelligibiles in eodem intellectu.

Quin-

QVinta. Distinctio realis essentialis est interduas essentias positiuas, quarum vna verè negatur de altera, vt inter potentias Animæ, quæ sunt secundum D. Thom. in prædic. qualitatis, & ipsam animã, quæ est in prædicamento substantiæ, vel inter essentiam Angeli, & intellectum eius. *Vera sunt quoad essentias, non quoad existentias secundum Scotistas, vt patet*; Et inter omnes species, & genera ex Aquar. c. 6. pag. 13. Arist. 7. methap. tex. 4. & ex 8. tex. 16. & D. Thom. p. 1. quęst. 54. art. 3. & ibidem parum infra quæst. 77. art. 1. & par. 1. quæst. 47. art. 2.

Huius identitas est inter res in vna essentia singularissima conuenientes, vt tres personæ diuinę, quæ in ea sunt idem essentialiter; inter se tamē distinguuntur realiter hypostaticè; non autem inter se propriæ differunt secundum Ambr. lib. 1. de fide cap. 3. & Damasc. lib. 1. fidei Orthod. cap. 5. Vel inter species, & genera respectu suorum superiorum, vt Sortes, & Plato, Bos, & Leo.

Se-

QVinta. Distinctio realis essentialis est inter diuersas res positiuas habentes diuersas essentias numericas, specificas, vel genericas, vt inter Sortem, & Platonem, inter bouem, et leonem, & inter lapidem, & formicam; De qua Scot. in 2. loco citato. Quę reperitur in creaturis, non in diuinis, cum in tribus personis sit vna, et eadem essentia singularissima omnino impartibilis, & indiuisibilis; et nihil sit multiplicandum absque summa, et manifesta necessitate; reperitur etiam in accidentibus, et secundis intentionibus, non quidem primario, sed secundario.

Identitas ei opposita est inter res habentes eandem essentiam singularem, vt personæ diuinæ respectu essentię, vel habentes essentiam specificam, vel genericam vt Sortes, et Plato, bos, et leo, et hę adinuicem conueniunt cum Thomistica.

Sex.



SExta, Distinctio rationis ratiocinatę, seù formalis ex naturæ rei, seù secundum rem conceptam, est inter rem, & rem sub diuersis formalitatibus conceptas; Vel inter ipsos conceptus in se, omni intellectus operatione seclusa, vt ens, & bonitas, Deus, & sapientia; quam virtualem, seu causalem, vel distinguibilem aliqui formalistæ vocant; De qua Arist. 4. meth. tex. 3. 5. Meth. text. 10. & 8. text. 16. & 1. Ethic. cap. 1. & 3. physic. tex. 18. secundum Auer. ibi. qua vtitur D. Thom. in de attributis.

Ipsius identitas est inter plures, res, vel vnam sub eodem conceptu quidditatiuo, vel formali, vt sortes in se, cum nihil sit magis idem, quam idem sibi, vel idem sortes à parte subiecti, & prædicati cum intellectus possit vti vno loco duorum, vt sortes est sortes. De qua Arist. 5. Metaph. text. 13. & 1. poster. cap. De per se.

Septi-

SExta: Distinctio ex natura rei communiter sumpta, est inter res de quibus duo contradictoria verificantur, quę conuenit omnibus rebus quacumque distinctione pręter in- intellectum (et etiam suo modo per intellectum) distinctis, vt patet exemplis, ex illis sumptis, specialiter vero, et propriè, est inter ea, quę, licet non distinguantur aliqua ex dictis distinctionibus, de eis tamen duo contradictoria verificantur, vt definitum, et definitio, & similia, de qua Scotus in quol. q. 5.

Eius identitas communiter capta, est quęcunque rerum identitas præter intellectum existens, propriè vero dicta, est inter ea, de quibus absque intellectus operatione duo contradictoria non verificantur, per intellectum vero sic, vt Sortes est Sortes, et hæ quoque coincidunt, ad inuicem.

Vide Aquar. cap. 10. in fine.

Sep-

SEptima. Distinctio rationis ratiocinantis, seù concipientis, fit per opus intellectus comparantis idem sibi sub diuersis rationibus, vt sortes est sortes, sub ratione subiecti, & prædicati, De qua Arist. 1. Priorum c.33.& primo post c. 13.& 5.Topic.c. 4.& D.Thom. p.1.q.13. art. 12.& alibi: quæ poterit reperiri inter duas res sub duabus intentionibus secundis, vt homo sub ratione speciei, & animal sub ratione generis; vel inter duas secundas intentiones, vt genus & species; vel in vna secunda intentione posita à parte subiecti, & prædicati, vt species est species, genus est genus: Et inter modos grammaticales, vt nomen, & verbum, & alios secundum Aquar. loco citato cap. 12. Cui non assignatur identitas, nisi identitas realis sortis in subiecto, & prædicato secundum D. Thom. ibidem ex Aquario cap. 12.

Pro

SEptima. Dist. rationis est eadē omnino cum distinctione rationis ratiocinantis D. Thomę, Est enim hæc distinctio inter res, quæ non conueniunt in eadem secunda intentione, licet intellectus noster in omni re possit ponere, seu fundare aliquam secundam intentionem, etiam in Deo, vt Deus est ens, & Deus est Deus, in Deo à parte subiecti fundat intentionem subiecti, & in Deo, & ente à parte prædicati intentionem prædicati; Idemque dicendum de quacumque propositione, in qua idem prædicatur de se ipso, vt Sortes est Sortes, ratione subiecti, et prędicati à se differens; De qua Scot. in 2. vbi supra, d. 2. q. 7. Cui non videtur posse assignari identitas, nisi in primis intentionibus in eadem secunda intentione conuenientibus, vt Sortes est indiuiduum, Plato est indiuiduum, et bos, et leo sunt species: Quę (vt vides) omnino coincidunt; sed hęc identitas rationis non infert alias reales prędictas, vt perspicuum est.

PRo maiori prędictorum dilucidatione, aduertendum est primo. Prędictas D. Thomę, et Scoti distinctiones, et identitates solum nomine, non re, aut parum inter se differre, vt ex ipsorum exemplis manifestum est, nam quinque ex eis, nempe 1. 4. 5. 6. et 7. ab vtraque parte concorditer ponuntur secundum Aquar. loco citato Cap. 12. Duę verò reliquę secunda scilicet, et tertia simul quoque Coincidunt, vt ibi clarè conspicitur; Imò in eadem re sub diuersis rationibus sumpta, omnes inueniri, vt in Sorte, per omnes illas considerato, id inspicere poteris.

Secundo. distinctionem realem perfectam, seù proprie dictam, esse maiorem alijs distinctionibus secundum Scotum in quol. q. 2. tam intensiuè, cum sit perfectior, quam extensiuè, cum alias communiter inferat, licet non necessariò, seù essentialiter, sicut quę sunt directę in prędicamentis, cum inter eas non sit talis ordo; cui correspondet identitas realis eo-

dem

dem modo minor; Distinctionem verò realem ex natura rei propriè dictam, aut etiam rationis absolutè, esse opposito modo minorē; Cui correspondet identitas eodē modo maior secundum aliquos Scotistas, vt discurrenti sit notum.

Tertio. ens non esse genus, sed genera generalissima transcendens, cum non habeat rationem partis potentialis proprie, nec differentias generi necessarias secundum Scotum in 1. loco citato, sed tantummodo modos intrinsecos; qui non sunt propriè differentię, constituentes speciem cum genere: quo etiam dato, tunc decem prędicamenta non essent genera generalissima, nec positiuè, nec negatiuè, haberent enim tunc genus superius, et maius eis.

Quarto. ens transcendens, Deo, et creaturis commune, prędicatur de illis vniuocè secundum Scotum in 2. d. 3. q. 3. cum prędicetur de eis nomine, et definitione, seu Conceptu quidditatiuo: De nomine quidem patet, de conceptu verò, qui est, id,

quod est, seu sua essentia, similiter patet, cum omne, quod est, sit id, quod est quidditatiuè, seù suum esse est sua essentia, quod est ipsum esse vniuocum; In æquiuocis quoque non datur contradictio, nec consequentia, vt notum est, sicut dantur in ente sic sumpto. Cęterum, Scotus in Prędic. q. 4. ait, ens esse ęquiuocum logicè, et in 1. elench. q. 15. asserit illud esse ęquiuocum logicè, et analogum methaphysicè.

Pro cuius declaratione dicitur ab aliquibus Scotistis ad mentem eiusdem Scoti, id esse vniuocum analogum metaphysicè, esse verò ęquiuocum physicè, cum Deus, et creatura non conueniant in vna natura, et etiam logicè, cum non conueniant in vna secunda intētione communi. Analogum verò purum non datur secundum Scotum, vbi supra; Analogia quippe, aut est secundum vocem tantum, et tunc dicitur ęquiuocum Analogum, aut est secundum vocem, ac rem, et sic dicitur vniuocum Analogum, sicut est hic, primo enim

ens

ens ſecundum vocem,et rem conuenit Deo, deinde eodem modo creaturis. In diuinis quoque ens vniuocè analogicè prędicatur ſecundum Scot.in 1.d.1.q.2.prius enim ens dicitur de eſſentia,quā de ſuppoſitis,licet q.19. quol.ar.2. videatur dicere oppoſitum,non eſt autem ſic:quod non videtur poſſe ſubterfugi á ſufficienti diuiſione,ac poſſe ſic oppoſitę partes concordari, ens enim eſt vniuocum ęquiuocum, et Analogum, vt ſupra.

De differentijs verò vltimis non prædicatur vniuocè in quid ſecundum Scotum in primo loco præallegato, nam tunc, vel daretur proceſſus in infinitum, aut ex eo, & differentia contrahente fieret compoſitio realis, nec tunc ipſa foret vltima, nec ſimplex,nec primo diuerſa, vt patet, quæ ſunt abſurda; quamuis de eis prædicetur vniuocè realiter, ſeù ſit prædicatum vniuocum, ſeu commune in prædicando, non tamen formale quidditatiuum, cum id ſolum competat enti limitato, decemque prædicamentis applicato, vt re-

ctè discurrenti apparet. Nec itidem de suis passionibus vniuoce in quid predicatur, licet enim hæc propositio, ens est vnum, sit per se per seitate secundi modi, non conuertitur tamen in hanc per se, vnum est ens, eadem perseitate, nec maiori primi modi perseitate, vt notum est logicis peritis.

Ens autem multipliciter diuiditur, primo, in ens proprie reale, non dependens ab intellectu creato, vt lapis, & lignum extra ipsum; & in ens rationis, ab intellectu creato actu recto, vel collatiuo actiuo fabricatum, in eoue subiectiuè per se, vel per aliud, & obiectiuè, etiam in Deo, manens, secundo. In ens creatum à Deo in esse existentiæ, & ens increatum non habens sic esse, vt Deus, & quęcunque sunt in eo. tertio, in ens infinitum carens principio, & fine durationis, & perfectionum, vt Deus actu infinitus intensiuè, & extensiuè; & finitum habens principium, non tamen finem durationis, Deo illud conseruante, sed finitas perfectiones.

quar-

quarto,in ens immortale, seù incorruptibile non habens materiam, & formas contrarias, mortalitatem inducentes,vt Deus immortalis à se, primario, totaliter, per se, & independenter; Et in ens mortale habens materiam subiectiuè, & remotè, & formas contraria formaliter corruptionem inferentes.

Quinto,in causam agentem, & dãtem esse effectui,quæ aut est vniuersalis, vel particularis, vniuoca, vel æquiuoca, per se,vel per accidens; Et in effectum, recipientem esse à causa,vt Deus,sol,& homo generant hominem;sexto,In ens in potẽtia(quod est imperfectum) vel essentiali ad actum primum, seu ad substantiam, vel accidentali ad accidens, vel naturali ad aliquid inclinando naturaliter, vel violenta ad oppositum suæ inclinationis naturalis, vel actiua, vel passiua, vel tandem neutra, indifferenti ad omnem formam secundum Scotum in 4.d.48,q.2. vt materia ad formam, lapis ad hanc, vel illam figuram, & voluntas ad hoc,vel

illud velle; Et in actu, dum actu est, vel operatur, vt est actus primus, nẽpẽ actualis essentia rei, & actus secundus accidentalis, vt intellectus, & actus eius intelligendi; datur etiam potentia subiectiua, seu materię, habentis actu essentiam, & potentiam ad formam, quam non habet, vt intellectus, & sciẽtia, & potẽtia obiectiua, quæ est res in vi & potentia agentis, vt modo Antichristus creandus.

Septimo, in ens vniuersale in prædicando, vt genus, & species; & vniuersale in essendo per indifferentiã, vt humanitas in sorte, quæ potest dici etiam particularis ratione sorteitatis, illam determinantis secundum Scotum 2. d. 3. q. 1. ad 1. Et particulare in prædicando, vt sortes.

Octauo, In ens independens ab aliquo in esse, vt Deus; & sic dependens, vt cunctæ creaturę. Nono, in ens, quod est substantia increata, vel creata, materialis, vel immaterialis, vniuersalis, vel particularis, prima, vel secunda, quæ est fundamentum omnium accidentium nouem prædica-

ca-

camentorum, ad quæ reducuntur vltimæ differentiæ, passiones, priuationes, & negationes; Et accidens, quod est corporale, vt prædicta, vel spirituale, quod est in intellectu, vel voluntate creatis.

Decimo, in ens simplex, non habens partes essentiales, nec quantitatiuas, vt Deus, qui est totaliter simplex, ac summè simplex, non compositus, nec componibilis, non habens rationem partis, & simpliciter simplex, non resolubilis in plures conceptus, qualis non est Deus secundum aliquos, non tamen secundum Scotum q. 9. quol. ar. 1. qui resoluitur in plures conceptus, vt manifestum est: Et compositum ex materia, & forma; ex genere, & differentia, ex actu, & potentia, ex subiecto & accidente corporali, vel spirituali; De cælo dubium est; si dicatur tamē ipsum esse compositum ex materia, & forma, non ob hoc potest actu corrumpi, cum non sit Corpus mixtum, nec recipiat peregrinas impressiones corruptiuas, de quo alias.

Vndecimo, in ens immutabile, quod nullo modo mutari potest, vt Deus, qui est immobilis secundum Arist. 8. phys. & simpliciter necessarius secundum Scotum in 1. d. 8. & mutatio dicit in eo maximam imperfectionem; Et mutabile creatum, vt omnis creatura varietati subiecta, quia ex nihilo effecta, ab alio dependens, receptiua accidentium materialium, & spiritualium.

Duodecimo in ens necessariũ, quia incorruptibile ex se, vt Deus, qui est necessarius ex se simpliciter, ac totaliter necessitate absoluta, non defectibilis, ac sine nece; Et contingens vt sunt creaturæ, quæ, quando sunt, possunt non esse, & è conuersò vertibiliter, tum ex voluntate diuina secundum Scot. in p. d. 39. sic eas producente, tum etiam ex voluntate creata liberè agente, & à voluntate diuina in esse dependente.

Decimotertio in ens vnũ, quod est indiuisum à se, & diuisum ab omni alio; & est multiplex genere, specie, & numero, per se ex materia, & forma,

ma, vel ex actu, & potentia in creaturis, per accidens ex ſubſtantia, & accidente, & aggregatione, vt lapidum aceruus ex Scot. in 1. d. 2. q. 2. & ſimplicitatis ſecundum Scotũ in 1. d. 2. q. 1. diuinæ eſſentiæ; Vnitas prouenit à natura, vel eſſe rei; Et multa, quæ habent diuiſionem inter ſe, genere, ſpecie, indiuiduo, ſubſtantia, & accidente; multitudo verò ab eſſentia rei illimitata prouenit per ſe, & per accidens à materia, præſertim in creaturis materialibus.

Decimoquarto, in ens ſimpliciter, quod eſt perfectum & totale, vt Deus; vel eſt fundamentum accidentium, vt ſubſtantia; & ſecundum quid, vt accidens, vel pars, vel quodcunque ens imperfectum

Decimoquinto, in ens per ſe, conſtitutum ex his, quę ſunt in eodem prædicamento phyſicè, metaphyſice, vel logice, vt Deus &c. & ens per accidens, quod conſtituitur ex his, quæ ſunt diuerſorum prædicamentorum, vt homo albus ex Phyloſ. 6. metaph.

Decimosexto, in ens absolutum à dependentia ad aliud, saltem primariò, licet aliquando non secundario; vt sunt tria prima prædicamenta, & multa alia extra prædicamenta, vt in diuinis: Et respectiuum, seù relatiuum dependens per se, & primo ad terminum suum, vt Pater ad filium; datur relatio realis, habens extrema realia realiter distincta, ex natura rei exurgens secũdum Scotum in quol. q.6. quæ, aut est actualis, vel potentialis, vniuersalis, vel particularis, actiua, vel passiua, aut etiam aptitudinalis, vt speculanti patefiunt: Alia est intrinseca ex extremis in quacunque distantia positis exurgens, vt paternitas, & filiatio; alia extrinseca in debita solum distãtia positis emanans, vt ignis comburens, & stuppa combusta; Alia est secundum esse, cuius esse est esse formaliter per se primo ad aliud, vt esse Patris, & filij; Alia est secundum dici, vel per modum nostrum loquendi, & per accidens, quo pacto omnia entia possunt dici sic relatiua secundum Phylosf. 4. meth.

meth. Alia eſt æquiparantiæ, cuius extrema eodem nomine referuntur, vt ſimile; alia diſquiparantiæ, quæ non eodem nomine referuntur, vt Pater, & filius; Alia eſt ſuprapoſitionis, & alia ſuppoſitionis, vt Dominus & ſeruus, & è contra, Alia eſt tranſcendens, vt ſunt omnes relationes diuinæ, & rationis, ab actu collatiuo intellectus fabricata, vt genus, & ſpecies; Relationes omnes limitatæ ſunt in prædicamẽto ad aliquid; reſpectus verò in alijs ſex prædicamentis accidentium reſpectiuè.

Decimoſeptimo, in ens abſtractum ſeù per intellectum ſeparatum, vel in ſua eſſentia abſolutè conſideratum: fit abſtractio prioris à poſteriori, cuius eſt cauſa, vt iuſtitia à iuſto, deſinit communiter in tas, tia, & do, & eſt genus ad omnia abſtracta: In ſubſtantia fit ſolum à ſuppoſito, vt humanitas, in accidentibus à ſubiecto, vt albedo, & à ſuppoſito, ſeù ab inferiori, vt albedineitas, ſeu ſecundo intentionaliter, ratio albedinis; à relatiuis à fundamento, vt potentia ge-
ne-

nerandi, à ſubiecto, vt pater, & à ſuppoſito, vt paternitas; hęc intelliguntur ratione concretionis tantum, & per terminos primæ intentionis, non autem ratione ſignificationis, quæ ſunt plures ſecundum Scotum in 1. diſt. 5. quęſt. 1. Alia eſt præciſiua verax, altera deciſiua mendax ex Ariſt. 2. Phyſ. Et concretum, ſeù cum alio conſideratum, quod eſt genus ad omnia concreta, & effectus abſtracti, vt iuſtus iuſtitię, qualia ſunt communiter participia, comparatiua, ſuperlatiua, adiectiua, et quaſi adiectiua ſubſtantiæ, vt homo, quæ etiam denominatiua dicuntur.

Decimo octauo. In ens in anima, vt ſpecies intelligibiles, cognitio, habitus, & volitio; Et ens extra animam, quod non fit per intellectum creatum, vt decem prædicamenta.

Decimo nono. In ens intellectiuum, & eſt ipſemet intellectus intelligens, vel potens iutelligere; qui vel eſt increatus, nempe intellectus Dei, qui ab æterno primariò ſe intellexit, & ſecundariò creaturas, diſtin-

stinctus solùm ab essentia ex natura rei; est tamen in eo formaliter, & necessario, cum sit principim, quo filius producitur, sicut voluntas Spiritus Sancti, & non solùm eminenter, vt volunt aliqui, ne multiplicent entia, cum sic non multiplicentur, saltem sine necessitate prædicta secundum Scot. in quol. q. 15. & in 2. d. 16. q. 1. intellectus possibilis, seù potius passibilis, & receptiuus, non est in Deo, cum nihil recipiat, sed solùm intellectus agens, seù actiuus, ob dignitatem, quam importat. In natura verò Angelica, & humana, est vtérque intellectus passibilis scilicet, qui naturaliter recipit species intelligibiles ab intellectu agente, ac etiam intellectiones, quas ipse recipiendo, illas producit ex 3. de Anima; & intellectus agens, seù actiuus, qui producit species intelligibiles in intellectum possibilem; Hi duo intellectus sũt idem realiter inter se, & cum anima, licet distinguantur ex natura rei, cum duo contradictoria verificentur de eis; Et ens volitiuum, ipsa nimi-

mi-

mirum voluntas, quę duplex eſt, diuina, increata, infinita, eadem in tribus perſonis realiter, & eſsẽtialiter; eſt libera ad velle, & nolle, perpetuoq; immutabilis, recta omniſque rectitudinis regulatiua, exiſtens in Deo formaliter, cum ſit principium quo productionis Spiritus Sancti ſecundum Scotum, & non eminenter tantum ecundum alios; cuius quinq; ſunt ſigna, ipſa imperat, prohibet, permittit, conſulit, & facit; efficax ſemper impletur, quæ quippe ſic vult, totaliter, & abſolute, ſemper eueniunt; Voluntas vero creata, & finita eſt in natura Angelica, & humana mutabilis ex narura ſua, immutabilis in paradiſi gloria ex gratia; Et actiua, quia diligit, eſt paſſiua, quia recipit dilectionem, ſeu amorem; actus eius ſunt eligere, imperare, nolle, & velle; imperat ſibi, intellectui, & ſenſui, ſed à potentijs mere naturalibus non obeditur, vt patet; intellectus, & voluntas diſtinguũtur ex natura rei, & ſunt idem realiter, & eſſentialiter ſecundum Scotũ; voluntas enim eſt libera

bera per essentiam; & intellectus necessario agens; voluntas potest annihilari, non tamen cogi, cum libertas eius sit de ipsius essentia: Phyl. parum, aut nihil locutus fuit de ea; in 1. Perier. appellauit eam electionem, & alibi intellectum practicum, faciẽs de ipsis modicam distinctionem.

Vigesimo. In ens tandem quantum quantitate virtutis, seù ea perfectum, & ens non quantum, seù non perfectum ea quãtitate, & hoc theologicè, non physicè secundum Scotum in quolib. q. 5. in Theologia enim sunt quædam entia, quæ non dicunt formaliter perfectionem, nec imperfectionem, vt relationes personales, licet sint perfectę realiter fundamentaliter ratione diuinæ essentiæ formaliter perfectæ, distinctæ ab ea nihilominus ex natura rei.

Prænarratæ diuisiones non sunt ipsius entis in prima notione, seù trascendentissimè sumpti, seù considerati immediatè, tunc enim est tantũ sua essentia indifferens ad omnia entia, & non aliquod ipsorum, nec substan-

stan-

stantia, nec accidens, & sic de singulis. In secunda notione, seù transcendentaliter sumpti, seù omnibus entibus applicati, sic sunt ipsius diuisiones immediatę; applicatum enim substantiæ, est substantia, applicatum accidenti, est accidens, & sic de cęteris; De qua entis acceptione dicit Arist. 8. meth. tex. 10. (quauè vtitur Scotus frequenter ferè vbique, admodum vtiliter) ens non est quid, nec quantum, &c. denotans primam notionem, & deinde dicit, ens est quid, quantum, &c. denotans secundam notionem entis; & hæc pro nunc satis sint.

Quænam verò diuisio entis realis, & sic sumpti, sit prima diuersi diuersa opinati sunt. Aquar. ait cap. 22. Suarũ formal. illud primo simpliciter diuidi in ens reale, & rationis, cum hæc tradatur per membra magis distantia; sed ordine doctrinæ in decem prædicamenta ex Arist. 5. meth. idemq; alij asserunt Caiet. p. 1. D. Thom. existimat diuidi in infinitum, & finitum cum Scoto; Simplicius in causa

causã, & causatum: Soncinus, & alij in vnum, & multa; Auer. diuersis in locis in ens per se, & per accidens, in decem prędicamenta, in substantiam & accidens, & in potentiam, & actũ; Scotus q. 5. quol. in quantum, & non quantum, comprehendendo theologicè relationes diuinas personales, quæ non sunt formaliter quantæ; primo verò meth q. 1. dicit cum alijs diuidi physicè in infinitum, & finitũ modos intrinsecos, comprehendentes omnia entia. Vallonus verò ait in suis formal. diuidi in Deum, & Creaturam, cum sic fiat per quidditates, quæ sunt priores modis intrinsecis; elige tu quam vis, parum enim, aut nihil referre videtur hæc primitas, cum satis sit scire, quot modis diuidatur ad maiorem eius amplitudinis cognitionem, & aliarum scientiarum vtilitatem.

Cum modi intrinseci à Phyl. in prędicamento qualitatis in fine, & 2. Phys. de causis, à Theologis, & formalistis, in rerum natura ponantur, hic de eis summatim agam pro maiori

iori formalitatum notitia. Modus non dicitur formaliter res, cum non sit propriè res, sed modus, seù gradus rei; dicitur intrinsecus negatiuè, cũ non dicat aliam formalitatẽ à formalitate rei, seù modati. Modus intrinsecus est secundum Scot. in 1. dist. 8. q. 4. qui additus alteri, vel remotus ab eo, non variat rationem formalem eius, cum sit per se inconceptibilis, sed solum cum modato concipitur, vt de infinitate, & aliis liquido patet; ideoq; non sunt in genere directè, sed indirectè, seù reductiuè, in eo scilicet, vbi est modatum, vt intensio caloris in genere qualitatis; nec prædicatur per se de modato, sed per accidens iuxta modum prędicamentorum, in quid, vel quale, &c. cum ex se sint illimitati. Modatum potest definiri sine modo, cum fundamentaliter, vt res, sit priùs modo, licèt fortę, non formaliter, vt relatio. Modus autem è contra, non potest definiri sine modato secundum aliquos, cum sit posterior, & effectus formalis formaliter ipsius modati

(quam-

(quamuis alij oppositum asserant) nec propterea dat ei esse. Modus intrinsecus non est passio, sed prior passione ex natura rei, secundum Scotum q. 6. quol. ar. 1. & 2. post. q. 6. Cum prædicetur de modato in primo modo dicendi per se, (licet non totaliter) & ponatur in definitione eius realiter (licet non formaliter) identicè, immediatè, & à se, passio verò mediante subiecto; nec etiam est differentia, cum hæc ponatur per se in definitione definiti, dans ei esse, faciensq; cum genere compositionem ipsius; habet modum prædicandi determinatum in quale quid, & est verè res, quæ non conueniunt modo, vt patet. Modi intrinseci Dei sunt ex natura rei communiter hi, infinitas, æternitas, & necessitas. Infinitas est modus intrinsecus, qui & quantitas virtutis dicitur secundum Scot. q. 5. & 6. quol. cum non sit prædicatum quidditatiuum, nec qualitatiuum Dei, ipsius enim prædicata quidditatiua sunt deitas, entitas, existentia, vita, Spi-

ri-

ritus; qualitatiua verò, ſapientia, bonitas, miſericordia, &c. non ſecundum rem, cum in eo non ſit qualitas per ſe, ſed extrinſecè, & per accidens ſecūdum modum noſtrum intelligendi, & predicandi, quorum nullum eſt infinitas.

Erit igitur prædicatum modale medium inter illa, conueniens modo intrinſeco; prædicata enim Dei modalia ſunt infinitas, neceſſitas. Æternitas ſecundū Scot. in quol. loco citato ex Boetio 5. de Conſ. & eſt, interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſſio.

In qua definitione continetur vnum poſitiuum, nempè vita, & tres negationes, ſcilicet termini, ſucceſſionis, & dependentiæ, vt notum eſt; æternitas eſt modus intrinſecus formaliter ſecundum aliquos, exiſtentiæ diuinæ appropriata, licèt reuera etiam eſſentiæ, cum ſit prædicatum medium inter quidditatiuum, & qualitatiuum, modale ſcilicet, non autem fundamentaliter, cum non diſtinguatur, vt ſic, ab infinitate

essentiæ Diuinæ, nisi ratione. Alij verò tenent oppositum, & Scotus vbi supra manet problematicus. Necessitatem verò nulli dubium est esse modum intrinsecum Dei; existentia autem actualis Dei non est modus intrinsecus eius, vt vult Franciscus de Mayronis, cum Trombetta, & nonnullis alijs Scotistis, sed est de intrinseca ipsius ratione secundum Scot. q. 4. quol. vbi ait: In diuinis est vnica existentia, sicut vnica essentia, sicque prædicatur, vt ipsa, in primo modo dicendi per se, modus verò in secundo, vt supra.

Modi intrinseci in creaturis ex ipsarum natura sunt, existentia, finitas intensio, remissio, extensio, contingens, necessarium, per se, per accidens, et similia. Existentia actualis in creaturis est primus effectus Dei respectu producibilium ad extrà, et modus intrinsecus eorum secundum Scot. in 2. Post. q. 4. et 6. cum ipsa non sit de intrinseca ratione essentiæ creaturæ, licet sit eadem realiter, et formaliter cum ea, à qua solum ex na

tura

tura rei distinguitur, cum existentia dicat entitatem actualem cum tempore pręsenti, vel ęuo, essentia autem abstrahat à tempore, vt apparet; vnde nota diligenter, omnem rem naturalem primo habere esse esseñtię, secundo aptitudinale, seu producibile, tertio potentiale, et quarto actualis existentię, modus intrinsecus eius: Nec non sequentia conducunt ad idem rectè perpensa.

Realis dicitur à re, quę prima impressione imprimitur in mente ex Arist. 1. met. cap. 5. res dicitur à rato, seù firmo, quia debet esse firma, et stabilis cum existentia actuali, vel à reor, idest opinor, sic omne ens cognitum, seu imaginabile dicitur res; dicitur, verò res essentiæ, existentiæ, et subsistentię transitiuè, idest sunt essentia, existentia, et subsistentia; constructio namque est duplex intransitiuà dum res nominis recti non transit in aliam rem nominis obliqui, vt equus Platonis; Et transitiua, dum res nominis recti transit in aliam rem nominis obliqui

vt

vt hic, res essentię, et similes, cum idem per vtrumque nomen importetur. Illę tres res, licet aliquando confundantur, sumendo vnam pro alia; propriè tamen aliquo modo differunt res quippe habens esse substantię, habet etiam esse existentiæ, et essentię cum posterius includat prius, sed non è contra ratione contraria, vt patet in sorte.

Deinde esse essentię, et existentiæ sunt suo modo in omni genere, non autem res subsistentiæ quæ est solum in prędicamento subsistentię subsistens, est incommunicabile, vt quod cum non prædicetur de pluribus, et vt quo, cum non sit forma, nec habeat rationem formæ, aut partis, vt sortes communicabile quoque sibi oppositum, dicitur communicabile, vt quod, cum prædicetur de pluribus vt homo, et vt quo, vt anima, vel vtroque modo simul, vt albedo formarum alia dat tantum esse, vt essentia diuina non informans, et alia facit vtrunque suo modo, vt anima, et albedo.

Inter indiuiduum, singulare, suppositum; et personam est aliqua differentia, secundum formalitantes, ac Theologos, licet Arist. parum, aut nihil expresse dixerit de eis, Differunt tamen prima duo, quia indiuiduum infert singulare sed non è contra, cum singulare reperiatur in omni genere, et indiuidum propriè in prędicamento quantitatis, cum secundum aliquos dicatur indiuisum à se et diuisum à quolibet alio, et Porphirius dicat esse id quod predicatur de vno solo, Suppositum autem, et persona sunt solum in prędicamēto subsistentiæ incommunicabiliter, vt quo, et vt quod vt supra dictum est, et vnum (puta persona) infert aliud, sed non è contra persona quidem addit supposito intellectualitatem, vt notum est ex definitione ipsius, est intellectualis naturæ indiuidua substantia secundum Boecium, vel secundum Theologos, est intellectualis naturæ incommunicabilis existenti, quæ priorem declarat diciturue persona, quasi per se vna.

Es-

Essentia, natura, substantia, quidditas, & formalitas non sunt pęnitus idem; essentia namque reperitur suo modo etiam in secundis intentionibus, cum & ipse definiantur à Porphirio, & alijs, licet per se non moueant intellectum, sed per aliud, scilicet per primas intentiones; natura verò sic, cum sit principium motus, & quietis secundum Phyl. Qualitates actiuæ dicuntur impropriè natura, ratione suæ actiuitatis: Quidditas, & formalitas differunt ab essentia, cum in Deo sint plures quidditates, & formalitates, vt vita, spiritus, & alię, vna tamen solummodo essentia.

Totum Physicum distinguitur realiter à suis partibus, vt humanitas ab anima, & corpore. Aduertendum tamen non necessario requiri ad distinctionem realem, vt ambo extrema distinctionem realem, vt ambo extrema distincta possint ad inuicem separari, simulque separatim existere, sed sat erit vnum ipsorum existere, altero non existente, vt patet expresse de Anima, & Corpore,

& de anima, & potentijs eius, quæ iuxta D. Thom. distinguuntur realiter, cum Anima sit substantia, & potentia qualitas ab inuicem separabiles ex Aquar. vbi supra, cap. 6. prope finem; Vnde dantur distinctionis realis gradus secundum Scotum 3. d. 2. q. 2. videlicet corruptibilis ab incorruptibili, gignentis à genito, dependentis ab independente, producentis à producto, causæ ab effectu, & rei existentis ab alia re similiter existente. Vnus ergo istorum modum sufficit ad talem distinctionem realem, altero tantum extremo remanente.

Necessitas secundum Arist. 5. meth. tex. 6. sumitur multis modis, primo pro eo, sine quo nequit aliquid bene fieri, vt sunt prædicabilia ad intellectionem prædicamentorum: secundo pro ineuitabili, vt mors est necessaria: tertio pro immutabili, vt Pater necessario producit filium, & pro necessitate indigentiæ, de qua dicitur, de necessitatibus meis libera me Domine: quinto pro necessitate vio-

violentiç, vt extracto de suo loco naturali lapide necessario inclinatur ad illum redire: sexto pro necessitate exigentiæ, quæ ponitur in diuinis, & humanis, vt pater coexigit filium ex sua abundanti fœcunditate, & logica exigit grammaticam; sic etiam necessarium secundum eundem Arist. ibidem sumitur multis modis; primo pro eo, quod non potest, nec potuit nec poterit esse sine eo, vt Deum, & hominem non esse: secundo pro eo sine quo res non potest esse, vt animal sine cibo, & homo sine vestimento; & tertio pro necessitate violentiæ, vt necessitas me compulit.

Ista quatuor; natura intellectualis, natura viuens, natura substantialis, & natura vniuersalis, se habent sicut inferius ad suum superius, sic etiam se habent productiones, nam producere in natura intallectuali est dicere, in viuente nasci, in substantiali generari, & in vniuersali produci; & vt inferius infert superius, ita natura intellectualis infert alias natura; & dicere infert nasci; & alias produ-

ctiones, & ab illis prioribus abstrahuntur superiora, seu illata, vt liquidò patet discurrenti, in his perito.

Negatio est triplex; nempe negans, quæ cadens supra copulam principalem facit propositionem negatiuam, destruens quidquid inuenit post se, vt nō homo currit, idest nullus homo currit, & dicitur secundum Scotum in 1. d. 23. & 28. q. 2. negatio extra genus; Alia est negatio priuans, quæ negat actum in subiecto, non autem aptitudinem eiusdem ad ipsum, vt homo cęcus, seu non videns, quę dicitur negatio in genere à Scoto loco citato; Alia est negatio infinitans, quę cadit supra nomen, vel verbum, illudq; infinitat, & dicitur infinitatum, cum eo fit nomen, vel verbum vnum infinitum, importans omnem aliam rem (ac etiam non ens, vt chymera, à re per nomen simplex infinitatum significatam, vt non homo. Possent hic multa alia, ad hanc materiam spectantia, apponi, quæ breuitatis gratia ommittuntur.

LAVS DEO.

INDEX.

Con-

Mo

